

Conventiculum Luerense



Europa Latina



Lyceum D. Celeri



A die 22 ad diem 29 mensis Iulii MMXVIII (sive ab a.d. XI ad a.d. IV Kal. Sext.)

Ex consilio operis fundati c.n. Europa Latina indicimus *Conventiculum Luerense*, ad quod invitantur omnes litterarum Latinarum studiosi, sive ii magistri, sive discipuli sunt, sive per otium animique causa huic linguae student. Conventus celebrabitur ab a.d. XI usque ad a.d. IV Kal. Sext. Luere. Scholae habebuntur cum in Academia Tadiniana, tum in aedibus Lycei D. Celeri. Participes cotidie scholas audient de eis scriptoribus, qui inde a Romanorum aetate usque ad tempora nostra situm lacus Sebini maximasque res, quae in agro Camunno Brixianoque gestae sunt, Latina oratione descripserunt. Multa insuper oppida praeclara visent, necnon aedes operaque summo artificio facta, quae eos admonebunt cum de Camunnorum Romanorumque antiquitatibus, tum etiam de rebus posterius in hac regione gestis. Id enim propositum est, ut Brixiam, Luer, Pisonium, Cavellas, Praetorium, Civitatem Camunnorum, Caput Pontis Cemmi lustremus singulaque de monumentis quae ibi sunt Latine exponamus. Huius conventus auctores id praeterea custodient, ut participes perpetuo ac fere sine intermissione Latine loquendi ac scribendi facultate exerceantur. Quem ad finem scholae, peregrinationes, ceteraque omnia quae per illos dies instituentur nonnisi sermone Latino habebuntur.